

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Atlas minor Gerardi Mercatoris**

**Mercator, Gerhard**

**Amsterodami, 1610**

Hungaria regnum

[urn:nbn:de:bsz:31-118360](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-118360)

## Hungariæ Regnum.

474

*Regio & unde dicta.*

*Situs.*

*Cæli temperies. Sols fertilitas.*

*Animalium varietas.*

*Imperium majorem.*

**H**UNGARIA, vulgo *Honger* (quam nomen ab Hunnis vel Hungaris populis ex Scythia profectis, qui eam incolunt, habere conlatur) Pannonias & trans Danubium Iazygum & Dacorum Regionem fere omnem occupat. Ad Meridiem est Savius Amnis, quo a Croatia & Servia disjungitur, quæ sunt in parte Illyrici Adriatico pelago obversa. A Septentrione sunt Polonia & Rulsia, Carpato monte disclusa. Ad Occidentem Solem Auftria, Superioris quondam Pannoniæ Caput, cum Moravia & Stiria; ab Oriente Myfia quam Rhetianam nunc appellant. Regio omnibus Cæli benignitate & clementia, ac loci amœnitate, Situsque pulchritudine, suo jure ante ferenda. Ager rerum omnium copia ac fertilitate felix. Gemmas, Aurum, Argentum, Colores, Sal fodientibus abunde largitur. Pabuli, Frumenti, Leguminum ac Fructuum nusquam abundantia major. Vinum gignit generosissimum tractus Danubianus, a Quinque-Ecclesiensi Agro Taurunum seu Belgradum usque. Olea tamen rara aut nulla est: ea dempta omnibus propemodum Naturæ dotibus hoc Regnum ornatum videtur, Animalia producit varia, quorum tanta hic copia, in primis Ovium, Boum, ut in exteris Regionibus tot & tanta armenta mittat, ut pene incredibile videatur, præsertim in Italiam & Germaniam. Feris quoque mirifice abundat, Leporibus, Damis, Capreolis, Cervis, Apris, Lupis, Vrsis, & hujusmodi; Avibus item, præsertim Turdis, Perdibus, & Phasianis. Coluerunt Regionem hanc primum *Pæones*, sive *Pannonæ*: postea *Gothi*, qui ab *Hunnis* expulsi sunt: *Hunni* a *Longobardis*, qui etiam totos XLII annos hic confedere. Successerunt iterum *Hunni* Duce *Attila*; quo obito, Carolus Magnus eam sui juris fecit. Anno autem CCIO sub *Arnulpho Imperatore* è Scythia profecti *Hungari* loca ista occupaverunt Paganismum colentes ad usque *Regis Stephani* quem *Sanctum* vocant, inaugurationem. Ab eo deinceps ad nostra tempora Hungaria Christianam Religionem possessa est. Continet autem Hungaria totam *Iazygum Armanstorum* regionem, quam Ptolemæus Danubio, Tibisco & Montibus Sarmaticis circumseribit. Horum reliquias adhuc extare constat, & vulgo contracta voce *Iaz* vocari. Incolunt vero sedes a Plinio descriptas & linguæ idioma habent Hungarico dissimilimum. Regum Hungariæ primus fuit post constitutam religionem Christianam *Stephanus* cognomento *Sanctus*, sequenti sunt *Petrus* ejus Nepos, *Andreas* Consanguineus, *Bela*, *Salomon*, *Geysa*, *Ladislavus*, *Almus*, *Stephanus II*, *Bela cæcus*, *Geysa II*, *Stephanus III*, *Bela III*, *Emericus*, *Ladislavus II*, alique longo ordine, ad usque *Rudolphi II* Regis & Germanorum Cæsaris tempora, qui jam tricesimum secundum annum illi regno præest. Rex vero Hungariæ Regnum suum administrat II Magistratum auxilio, qui sunt: Sublimior qui in tres Magistratus dividitur quorum I Gubernans Regnum Regis nomine in quo suat, *Palatinus Regni*, qui proximus a Rege est, & Regis ipsius, sicuti accusatus, Iudex ordinarius existit, quem *Regnicola* communi voto eligunt, nec hæreditarium est officium. *Judex Curie*, qui est unus ex Iudicibus Regni ordinarius. *Cancellarius*

HUNGARIA.

475



*Cancellarius* perpetuus, qui est Metropolitanus Strigoniensis, qui & *Primus Regni*, & *Summus Secretarius* nominatur, ac prerogativam habet electum Regem inungendi, & Sigillo majore privilegia munit. Arbitrio Regis assumptus, qui ceteras literas minores & potissimum mandata regia, & in causarum distinctione datas munit, de ceteris Regis subscribit. *Magister Curia*, Regis Comitatum sequi cogitur, & ejusdem intimus Consiliarius habetur. *Tavernicorum Regalium Magister*, Auri fodinarum Salinarumq; & breviter earum Civitatum, Pagorumq; ac castrorum causas distinguit, quaecunque ad fiscum regium pertinent. 11 Iudicia tractans, in quo Officiarii, tres majoris autoritatis, *Vice-palatini Regni*, *Judex personalis praesentia*, qui & Regiae Majestatis in judiciis locum tenet, & Iudicibus praestit: *Vice Judex Curiae*: Minores, qui ministeria magis judiciorum quam Magistratum exercent: *Protonotarii* duo Iudicis personarum praesentia. *Protonotarius* Vice-palatini, *protonotarius* Vice Iudicis Curiae. Hi omnes Magistri appellanter, habentque in laboris consortium adjunctos hos sequentes: *Secretarium*, *Archiepiscopi Strigoniensis*, qui *Fiscalis* dicitur Duodecim Assesores, *Notarios* aliquot juratos. 111 *Ministrans Regi*, *Thesaurarius Regis*, *Magistri Cubicorum Regalium*, *Agazonum*, *Dapiferorum*, *Pincernarum*, *Incensorum*, & alia minora officia. Atque hi Sublimiores. Minor qui est in singulis locis juridicis. Porro quia regnum amplissimum est, constituta sunt per Provincias judicia particularia, quos Comitatus Hungari dicunt, Suntque hi supra Danubium ad Occidentem Tibisci flu. *Pisoniensis*, *Nitriensis*, *Cepusensis*, *Gedmanensis*, *Possibiensis*, *Semlincensis*, *Comariensis*, *Liptoniensis*, *Novigradiensis*, *Abazovariensis*, *Bathiensis*, *Ungbentis*, *Trachimonsis*, *Bavsiensis*, *Homensis*, *Borsodiensis*, *Bodroghtensis*, *Peregriensis*, *Turocensis*, *Omuzolis*, *Tornensis*, *Herodesensis*, *Zalnocensis*, *Moravianensis*. Supra Danubium ad Orientem Tibisci, *Ugoghensis*, *Bihoriensis*, *Zatmariensis*, *Orodiensis*, *Zabolciensis*, *Chonadiensis*, *Temesiensis*. Inter Danubium & Dravum flu. *Musoniensis*, *Zaladiensis*, *Tolnensis*, *Rhab* sive *Lauriensis*, *Vesprimiensis*, *Strigoniensis*, *Soproniensis*, *Albensis*, *Siniogiensis*, *Castriferrensis*, *Pelisiensis*, *Waramiensis*. Inter Dravum & Savum flu. *Valkonensis*, *Risensis*, *Syriniensis*, *Wawasiensis*, *Pofegiensis*, *Zagrabiensis*. Administratio Ecclesiastica penes duos est Archiepiscopos, qui sunt *Gran* vel *Strigoniensis*, legatus Apostolicus & primas Regni. Habet sub se *Agriensem*, *Vaciensem*, *Nitriensem*, *Quinque ecclesiensem*, *Vesprimiensem*, qui Cancellarius est Reginae quam etiam coronat, & *Lauriensem* vulgo *Rab*, Episcopus: *Coloniensis* sive *Coloz*, sub quo sunt *Sagabriensis*, *Transilvaniensis*, *Vocadrensis*, *Sumiensis*, *Visemburgensis*, *Cenadiensis*, sive *Chomad*, *Bosniensis*. Dividitur vero Hungaria universa in Citeriorem & Ulteriorem. Citerior Hungaria omnem illum tractum complectitur qui citra Danubium est: ulterior illum, qui ultra Danubium, quam quidem mediam Tibiscus fecat. Metropolis & Regni caput *Buda*, sic denominata, uti plerique existimant, a *Buda* conditore Fratre Artia Regis, vel ut alii scribunt, a Budinis Scythiae populis, quorum Herodotus meminit. Appiano, Irenico & Althamero *Civitas* Ptol. Aliis *Aquincum* Ptol. & Antonini, cui *Legio* 11 *adjutrix* est. Hujus si Urbis situm inspicias, ex parte montosa, & validis est propugnaculis firma, ut nec quicquam munitus, nec aemulius in tota *serme* Hungaria juveniri possit. Publicis privatique aedificiis ornatisissimis praeter

Urbes.

cæteris in ea Regione urbibus, clarissima, Agrum habet variorum fructuum ubertate luxuriantem. Anno 1556 die xx Augusti a Turcarum Imperatore Solimanno Christianis erepta est. Reliqua sunt *Bosonium* vulgo *Preßborgh*, urbs nobilissima. Hic *Leyta* st. Ponnoniam Superiorem ab Inferiore dividens, cum Istro miscetur. Urbs vetus & elegans, quæ ut situ, ita Aere quo fruitur læto & amœno salubrique, multas Pannoniæ urbes longe antecellit. Montes habet Vineis amœnissimis confitos, qui & magnam lignorum copiam præbent. Ad suburbium in præcelso Montis vertice Arcem validam habet. *Belgradum* ad Confluentes Savi & Danubii, vulgo etiam dicitur *Alba Græca*, antiquioribus *Taurunum*, Germanis *Griechs Weissenburg*: captum est a Turca Solimanno, anno 1541, quum antea Christiani Orbis adversus immanem hostem præsidium aliquam diu fuisset; nunc hæc Turcarum Imperatoris sedes est. Ulterius secundo Danubio descendentibus occurrit *Singidunum*, captum a Turca anno 1690. Medio inter duas istas urbes spacio, campus est nobili *Hunnada* victoria adversus Malometum Turcarum Imperatorem celebratus: Campum vocant *Maxons*. Prælium commissum est anno 1690. Adverso flumine ascendente multa loca excipiunt funestis Christianorum cladibus tristitia. *Valpo* urbs capta anno 1691. *Quinque Ecclesie* ad Dravum anno 1691. *Zigetba* anno 1691. *Buda* de qua supra. *Strigonium* ad Danubium, vulgo *Gran* dicitur, Archiepiscopi palis quondam sedes, & jam in manibus Turcarum. *Alba Regalis*, *Stuhlweissenburg* Regum corona & sepultura celebris, capta est Anno 1686. In eodem pene tractu est *Stridon* B. Hieronymi patria. Est & *Komora* urbs munitissima in Insula ejusdem nominis, frustra aliquoties a Turcis petita. *Jaurum*, vulgo *Raab* ad Danubium sita, fere inexpugnabilis. Reliqua Opida silentio prætereo. Sunt & in Hungaria Lacus celebres ac nobiles, quorum præcipuus est *Balaton*, qui Germanis *Platze* dicitur, xl. Milliaria Italica secundum latitudinem habens & Hungarica vii. Flumina sunt nobilissima *Danubius*, *Savus*, *Dravus*, & *Tibiscus*: Horum tres priores communes sunt nonnullis aliis regionibus, sed *Tibiscum* totum, sola Hungaria sibi vindicat. Hic quidem in Maramusia sub altissimis Carpati jugis nascitur, omnesque Hungariæ fluvios, proventu Piscium superat; omnibus enim temporibus iismirifice abundat, inprimis Sturionibus, Lucii, quorum hepar sesqui-ulnam longitudine interdum superat; Cypriis & Siluribus. Alii etiam Amnes præter hos sunt, qui optimorum Piscium copia adfluunt, nimirum Fundulis, Trutis, Salmonibus, Percis, Murenis, Barbis & aliis pluribus, qui Amnes plerique feraces Auri sunt. Montes & Silvæ præcipuæ, ultra Danubium ab Austria & Moravia incipiendo recensentur a Lazio, *Tarchzal* Græcis *Carpatus* quondam a fructu Minerarum appellatus, propagatur per Comitatus, Turocensem, Arnensem, Liproviensem, Cappusensem, Gewinierensem ac Sariensem, cujus nomina Germanorum locorum Incolæ aliis atque aliis nominibus indigentant, *den Vatter*, *den Munch*, *den Wurtiganten*, *den Schnerperg*. Secundus est *Matran*, Vinetis prope Agriam confitus. Tertius omnium amplissimus *Erdel*. Sunt & multi alii, quos brevitatatis studio hoc loco omittimus, hisce Germaniam concludentes.

Flumina.

Montes.

Silva.

o o o iij

Italia